

**CATALOGUS
PRÆLECTI-
ONUM PUBLICA-
RUM ET PRIVA-
TARUM,**

Quibus

Singuli singularum FCtatum DNN.

***PROFESSORES ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS,***

**inde à FESTO PASCHATOS
ANNI M DCCXXII.**

DEO DUCE,

Vacare constituerunt,



ROSTOCHII,

**Typis Joh. Wepplingi, SERENISSIMI PRINCIPIS
& ACAD. Typogr.**

FACULTAS THEOLOGICA.

Joh. Joachim Weidener, D.

Per æstivum & instans semestre sub Auspiciis divinis,

PUBLICÆ.

Post expositos tres Pentateuchi priores Libros, duobus residuis & subsequentibus Bibliorum Libris eadem fide & methodo explicandis operam navabit; Historiam etiam recentiorum Controversiarum ac motuum ad Annum MDCXCVII. perductam, sollicitè continuaturus.

PRIVATIM.

Ut adhuc Collegium Theologicum fundamentale ad Königium urget, & examinatoria ad Pfeifferi Criticam & Olearii Synopsin controversiarum sustinet, ita ad Alberti Interesse præleget, ut filum controversiarum ad præsentia protrahat tempora, imo his, qui pro-
vectioribus studiis jam pollent, Collegi-
um

um Homiletico-Practicum adornabit, ut singulis septimanis unus e suggestu sacro peroret, & censuræ Auditorum subjiatur, sicut & privatum Disputatorium denuo aperiet.

In Disputationibus publicis adversus novos Syncretistas ager, ac deinde Doctrinam Spirituum Biblice docere ac illustrare sataget &c.

Hermannus Christoph. Engelsten,

SS. Theol. Doct. Ejusdemque Profess. Publ. Ord.

IN *Lectiōibus suis Theologicis*, quæ hætenus per ardua officii Rectoralis negotia, varias passæ sunt remoras, strenuè, per Dei gratiam, perget, easque ad umbilicum propediem perducere conabitur. *Disputationes publicas*, seu, uti appellantur, *Labores Catechetico-Symbolicos in Catechismum Lutheri, præsertim Majorem*, continuabit, & cum jam publicè *Historiam Augustanae Confessionis* absolvit, statim, simulac possibile fuerit, *Prælectiones in ipsum Augustanae Confessionis Textum*, publicè *Hora II. in III. pomeridiana*, exordietur. Privatum Collegium aperire meditatur, idque *Lectorio-Examinatorio-Theologicum in B. Konigii Theologiam positivam*, nec non *Collegium privatum Disputatorium* sive super Konigii Theses, sive super alium libellum, cujus optionem CLL. DNN Auditoribus relinquit. Præterea *Bibliorum* quoque rationem habebit, atque *Librum Ium Regum*, juxta linguam Hebraicam, notis philologicis,

cis, exegeticis, atque Theologicis, dabit illustratum. Et sicuti haëtenus privatissime etiam DNN. Studioforum commodis invigilavit; ita neque imposterum privatissimam manuuctionem petentibus denegabit.

Franc. Alb. Æpinus,

Th. D. & P. D. P. O.

DEO gratiam suam benedictionemque dementissime largiente, publice prælecturus est *Collegium Isagogicum in IV. Evangelistas*, quorum simul œconomiam ac dispositionem, præviis suis Tabulis Oeconomicis Biblicis, exhibebit, ac, ubi pugnare videntur, nullam inter ipsos, institutâ debita conciliatione, contradictionem esse, ostendet. Privatim quoque Clarissimorum Commilitonum suorum Studiis omni, quo potest, meliori modo intervire non desistet, operas suas ita dispositurus, ut integer Theologiæ S. cursus, per omnes illius partes, biennio absolvi commodè possit, junctis & Disputatoriis exercitiis & Examinibus, nec privatissimam suam institutionem desiderantibus defuturus. Publica hora est X, antemeridiana.

✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠ ✠✠✠✠

FACULTAS JURIDICA.

Joach. Henricus Sibrand,

V. J. D. & Institut. P. P. Ord. Facult. Jurid. Senior,

M*ateria de Actorum Lectione, formandaque ex illis relatione, publice proponet. Privatim vero*

Colleg.

Collegia Juridica, Lectoria, Examinatoria, ac Disputatoria continuabit.

Jacobus Carmon,

U. J. D. & Pandectar. Prof. Publ. h. FCtis suæ Decanus,

Materiam matrimonialem integram, auxiliante supremo Numine, publicè tractabit, Graduum Computaciones, omnium Facultatum Cultoribus scitu necessarias, in Schematibus demonstraturus. Privatiim verò Collegia Institutionalia & Feudalia, absolutis, per DEI gratiam, prioribus, iterum aperiet, & Pandectarum evolutiones cum Collegiis privatissimis continuabit.

Johannes Christianus Petersen,

D. & Cod. Prof. Publ. Ord.

Publice præleget Materiam Matrimoniam, privatiim verò vel privatissime illis, qui operam ejus desiderabunt, lubenter vacabit.



FACULTAS MEDICA.

Georgius Detharding,

Med. Doct. & Prof. Publ. Duc. Primar. Facult. suæ & totius Academ. Senior.

Per instans semestre æstivum Disputationes sub titulo Manuductionis

ctionis ad vitam longam, volente
DEO, continuabit. Lectionibus quo-
que publicis regulas Diæteticas tra-
det. Privatum in docendo Medici-
nam, & aperiendo collegia lectorio-
examinatoria se nunquam otiosum
exhibebit.

Christ. Mart. Burchardus,

Med. D. & P. P. O.

Publice Lectiones instituet in D. Alberti Physiolo-
giam. Privatum vero Casus Medicinales Baltha-
sæ Guldenklees explicabit: Hoc acturus præprimis,
ut constet, Artem Medicam non esse conjecturalem,
ut quidam falso criminantur, sed certis inniti principiis,
adeoque veram esse ac demonstrativam. Quorundam
quoque sollicitatione permotus Collegium aperiet in
Scientiam Naturalem, modo sufficiens Auditorum Nu-
merus haberi possit. Conscripsit Disputationem de Natu-
ra Humana, propediem typis exscribendam.

~~-----~~

FACULTAS PHILOSOPHICA.

M. Jacobus Burgmann,

Græcæ Linguae Prof. Publ.

L*ectionibus suis publicis proxime pu-
blicatis adhærebit ulterius, semper-
que*

que aliquibus explicatis partibus ad subsequentes, DEI adjutus gratiâ, progressum faciet. Privatim quoque desideriis Nobiliss. Græcæ Literaturæ Studiosorum satisfacere studebit.

M. Petrus Becker,

Math. P. P. O. & P. J.

Ecclipsiographiam *theoretico-practicam* publice traditurus, privatim introductionem in universam offert Mathesin; præsertim cum ex voto nunc habeat domesticum, Dn. M. Joh. Herm. Becker, filium ex germano fratre sibi longe dilectissimum, cui urgente muneris Ecclesiastici ratione vices suas possit committere.

Dav. Henr. Koepkenius,

Phil. & S. Theol. D.

Publicis Lectionibus methodum investigandi scientias ostendet. Intra privatos parietes fundamenta fidei Christianæ succincta ratione exhibebit, institutisque
ad

ad B. Johannis Olearii Synopsin controversiarum, disputationibus, Dnn. Commilitonum exercitationibus vacabit. Quod si etiam privatiores operas suas quispiam desideraverit, eas in desiderantium commoda omni fide collocabit.

Ern. Joh. Frid. Mantzel,

J. U. & Phil. D. Moral, Prof. P.O.

Constituit pro officii sui ratione, cum incipiente novi temporis stadio, *Cursum Philosophiae Moralis* Lectionibus privatis, cum iis, quibus volupe fuerit, ingredi: Quo sub complexas esse cupit scientias haec; *Jus Naturae, Ethicam, Politicam, Oeconomicam*, & illam de *Decore*. Nec deerit illis, quibus unam vel alteram earundem separatim explanatam habere placuerit: Hora vero publica discursum instituet ad *Graciani Homme de Cour*; Adhæc secundum licentiam gradus Academicæ-Juridici Collegium *Institutionale* ad *B. Struvii Jurisprudentiam Romano-Germanicam*. Nulli præterea politioris Literaturæ Studio pro sua tenuitate operam denegaturus.

